

QK. VIII, 3.  
De thermis Radebergens. et Feibulzgranenfibus  
<sup>AD</sup>

I, 107.

MEMORIAM  
BEATI  
M. JO. CHRISTIANI  
GEIERI,

DIE V. APRIL. A. C. M D CC XXXII.

PUBLICA ORATIONE  
IN  
AUDITORIO PHILOSOPHORUM  
RECOLENDAM  
INVITAT  
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
PRO-DECANUS

D. JO. CHRISTIANUS LEHMANN,  
PHYS. PROF. PUBL. ORDIN. ET MED.  
EXTRAORD. ACAD. DECEMVIR. COLL.  
MAJ. PRINC. COLLEG. ET ACAD. LEO-  
POLD. UT ET SOC. PRUSS.  
MEMBR.

---

LIPSIÆ,  
LITTERIS JOH. ANDREÆ ZSCHAU.

Yd  
4535





## I. N. J

**J**N infinitum divisionem institui posse, numerosque suos in infinitum divisibiles esse, Arithmeticci uno ore affirmant atque defendunt. Nam dum unitati lineam subducunt, in partem dimidiadim esse eo ipso actu divisum numerum unicum, evidenter demonstrant. Dividendo numerum tunc dimidiatum, jam pergunt, subscribendo lineam, quo actu unius partis dimidia pars, iterum in partem dimidiadim, seu binas partes i. e. quartas fecant.

Imo nihil Arithmeticos prohibet, quominus Logarithmum sibi fingant longiorem ipso Äqvatore, toti Terrarum orbi circumsepto, huic scilicet linea<sup>æ</sup> vastissimæ numeris consignatæ, rectam lineam de novo subducere, adeoque in ineftabiles partes unicum totum, i. e. in infinitum dividere Arithmeticos posse, & actuali potentia dividendi instructos esse superbiunt.

Ast cogitando tantum divisionem in infinitum se instituere, non negant Arithmeticci, & hinc ipsi imbecillitatem suam fatentur. Etenim nihil reale hæc divisio in infinitum, sed tantum mentale sapit, nullumque effectum habet atque producit.



Agera



Agere se tamē aliquid, porro instant, dum mente divisionem unius in infinitum vel lineis subscribere, logarithmis vastissimis intendunt.

Qualis vero inter cogitationem & actionem intercedat insignis differentia, lippis & tonsoribus notum. Ac proin nec hac ratione Arithmeticci divisionem unius in infinitum divisibilem adhuc probarunt.

Enim vero sumamus Arithmeticæ exercitatissimum, imo acutissimum artificem, qui totum vitæ suæ tempus in dividendo in infinitum consumere, vel sancte promisisset, vel ad dividendum in infinitum condemnatus esset.

Quid inde concludendum? stupendam vastamque divisionem ille, vel ad decrepitam senectutem progressus in cogitatione tam diurna quidem intendit ac molitur. Ast ut brevis sim, ipse artifex egregius, mortalis & finitus est, adeoque ejus vita perditur & intercipitur, laudata quoque illius divisio in infinitum, vel tantum cogitatione adorna, vel stupenda applicatione producta & acquisita interrumpitur.

Destructa itaque probabilitate numeros dividendi in infinitum arithmeticæ; tanto magis Physicorum quorundam dogma, materiam in infinitum esse divisibilem, corruit & exploditur.

Quod in hoc Programmate, occasione dominii creaturarum, hominibus a Deo T.O. M. concessi, ex doctrina materiae finitate sum demonstraturus.

Finitas nempe materia terminum extensionis designat, quo quævis alia extensio sive possibilis, sive intelligibilis removetur, atque negatur. Cum enim una materia pars aliam removeat, ac una extra aliam constituta sit, nulla earum in infinitum extensa esse potest; sed pars quælibet propriæ suæ extensionis terminos habere, & esse debet finita; quia in infinitum aliud extra se non admittit, & quod terminos habet, finitum sit, necesse est.

Ex qua partium materiae finitate sequitur totius molis  
materiae finitas. Nam totum, id omne, quod habet, partibus  
suis debet, nec plus esse potest in toto, quam in partibus fuit,  
ac proin tota materiae substantia coagmentata ex partibus, quae  
singulae finitae sunt, finita esse atque extensionis suarum terminos  
habere debet.

Quamobrem ubi definivimus finitatem materiae, terminum  
ejus extensionis designare, quo quavis alia extensio sive  
possibilis sive intelligibilis removeatur, rationem positionis  
ipsa experientia explicat ac confirmat.

Nam ubi fons ab Augustissimo Rege nostro FRIDERICO  
AUGUSTO cognominatus prope urbem Radebergam situs,  
ex monte satis alto, per cryptam ducentarum quinquaginta  
orgyarum longam, effossamque profluens, *jussu Regis Clementissimi* ame,  
ratione suarum qualitatum sciscitandus, ac  
analyse physice & chymicæ subjiciendus erat, qualem experientissimi Physici ac Medici quidem publicis scriptis,  
tanquam inutilem, minus sanam & nocivam aquam rejecerunt  
ac detestati sunt, id quod binis meis de hoc balneo editis  
Tractatibus confutavi, particulas vitrioli martis solares, quas  
in eo praesentes esse negabant ac pernegabant, clare & ad oculum,  
& quidem copiosas, per affusionem contrariorum atque  
præcipitationem aliasque enchireses demonstravi. Frustrumque harum aquarum medicatarum An. M D C C X X V I I I .  
prima vice ipse Rex Clementissimus percepit cum euphoria,  
de quo Deo laus sit & gloria, & quo successu felici qvivis  
subditus adhuc gaudet & latatur.

Minimæ ferme erant undulantes particulæ martiales  
vitriolicæ in aquis istis Radebergenibus quoque dispersæ, &  
extenuatæ, levique adminiculo haud observabantur. Interim  
extensionis suarum terminum habent. Quapropter adminiculis  
adhibitis compulsa atque collecta hæc minimæ indo-  
lem suam, genusque probarunt ac prodiderunt.

Pari ratione nil heterogenei, vel vitrioli venerei in fonte  
foterio

soterio cognominato à me, *Reginæ glorioſiſſimæ CHRISTIANÆ EBERHARDINÆ* detegi posſe, ex hac doctrina de materiæ finitate probavi. Siquidem ſcaturigo fontis dicti, in cœumine montis grandioris & altioris, prope Reiboldsgrün in Varifacia obſervatur, aquæ tam limpidæ & pellucidæ effluunt, per horas tamen aliquot in vitro stagnantes, qvod mirandum, motu intestino ſcil. aquarum ſegniore facto, ſpirituque ſulphureo minerali exhalato, turbantur evidentiſſime, lactescunt, imo flaveſcunt, particulaeque martiales in minutiem ſane extenſæ, ſe attingentes, atque a volatilioribus relictæ, in ochram ferream condensatae, copioſe ad fundum vafis ruunt, per chartam emporeticam, ubi aqua ab iſtis minimis, tamen numerosioribus martialibus ſeparatur ac philtratur, ochraque poſtmodum in aere tantum exſiccatur, admoto magnete, plenarie huic appellitur. Martiales eſſe particulas, & hoc experimento probatur; puras tamen & nil cuprif. venerei præſlo eſſe, demonſtrat ulterius mixtio hujus aquæ, cum infuſo gallarum, qvo aquæ ex fuſco ad nigredinem vergenti, color inducitur.

Qva qualitate introducta i. e. martialibus tenuiſſimæ extensionis, cum mucaginofis gallarum collectis, aquisque ita factis opacis, fruſtulum aluminis injicitur, qvo alumine ſoluto, de novo ſolvuntur & martiales & gallarum in tam minimas, ratione extensionis conſideratas, ut aquæ iterum pelluciditatem priftinam ſibi reſtitutam acqvirant. Qvale phænomenon nunquam contingit, ſi micula vitrioli veneſis huic aquæ, infuſo gallarum mixta, addita fuit. Licet enim vitrioli veneſis dicta particula, in iñſigni quantitate mixturæ, etiam in minimas, & ineffabiles reſolvitur partes: interim extensionis terminos adhuc habentes, per aluminis mixtionem factam, deguntur. Nam mixtio, ob præſentes particulas venereas, nunquam evadet pellucida. Qvalis merito aquas, vitriolo venereo imprægnatas, ad uſum internum, Medici detestantur.

Progređior ad ignem, qvi minutas ſane moleculas adhuc in minutissimas reſolvit partes, & ferme in principium ma-

teriale, ac in atomos, eas discerpit ac disrumpit. Removet omnino partes materiae a se invicem, ut aliae partes, ab aliis constituta, fiant. Quarum nonnullae in atmosphaeram dispersae, sumi instar crassioris, adhuc producuntur, qualem ab ellenchis numerosioribus exsurgere videmus, ubi metallifossores solennia sua celebrant, tunc plerumque vel totum ccelum, a resolutionis per ignis flamnam particulis oleofisis, tenebris & nigredine evidenti obnubilatur. Quae tenebrae tam diu sistuntur, quamdiu cohortes metallifosorum solennitates suas uno in loco continuant. His tandem abeuntibus & separatis, crassiores haec atri vaporis moleculae, in tenuiores per aeris motum intefinum & localem rediguntur: eumque in modum earum extensione alteratur, ut aerem pellucidum, purioremque pristinum habeas.

Eandem resolutionem, attamen finitam, in bituminosis accessis quibusvis observabis, calore intensiori in sumum crassorem rediguntur, aucto ignis gradu, fumum spargunt magis albicanem, ac tenuorem, usque dum mox magis adhuc attenuantur minima, & in flamnam rediguntur, quae aquosas salinas, terrestres partes a connexione molecularium, vel etiam corporum liberat, & separatam a se invicem, extensionem priorem, illis tantum restituit, ut loco vegetabilium, sal, aquam & terram illorum acquiramus, suis usibus destinanda.

Ex doctrina de coloribus hypostaticis, qua parte Physices, tintores & pictores utuntur, ut dominium in creaturas exercere, sibique ad vitam conservandam sumptus necessarios & divitias comparare possint. Ex unica olla tintura illorum praeparata, plus quam duodecim diversorum colorum species producunt, & ferica, & utensilia, & linteal diversimode & distincte tingunt, quod totum negotium a finitate materiae dependet. Prima species, in operatione proveniens, saturatissime tincta cernitur. Altera species pallidior se fistit, & sic gradu descendit tintura & color. Ratio physica est evidens, numerosioribus tinturæ partibus, in fluido praesentibus, saturatior

tior color producitur. Extensione ulteriori vero, tinctura alterata, & partibus a se invicem absuntis, quæ linteaminibus colorēm introduxerunt; denique plane remotis & ablatis, ac extra se quoque longius distantibus & constitutis, rarioribus hac ratione factis, debilior lucis reflexio excitatur, hinc minorem tincturā gradum, speciemque diversam, coloris hypostatici oculis fistunt.

In crassioribus atque solidis corporibus materiam finitam esse, libellæ ostendunt. Demptis scilicet successive partibus, præpondium in continentि alterius bilancis aderit, quod unumquemque admonet, ad æquationem æquilibrii restituendam, ex altera bilanci contrapondium quoque esse minuendum.

Quale experimentum, licet levidense creditur, insignem usum tamen generi humano, in diversis actionibus præstat, atque inter emptorem & venditorem justos limites, pretiumque verum determinat.

Quæ recensita hactenus omnia clare probant, materiam esse finitam, terminosque suos a Creatore ipsomet datos & præfixos admittere. Divide itaque partes a se invicem sive actu, sive mentaliter, nunquam in infinitum, probe tamen & ad stupendam minutiem in indefinitum materiam, omniaque ex ea producta divides & separabis.

De quo, uti alio tempore plura dicendi erit occasio: ita nunc, quod nostri est officii, Orationem illam publicam & anniversariam indicamus, quæ proximo Saturni die in memoriam Viri, de literis humanioribus & sacrīs, beneficio in cultores earum ingenuos collato, valde meriti, beati M. JOANNIS CHRISTIANI GEIERI, statim post horam IX. matutinam habebitur. Excurret in ea Vir-Iuvenis perexlimus, GOTTLIEB ERNESTUS LUCIUS, Bornensis, S.S. Theol. Cultor perindustrius in GEIERI, Evergetæ & totius

Gd. 4525/6A

X3456MA 1618

totius ejus vita laudem, ipsiusque amorem in bonas literas  
& insignem beneficentiam grato animo prædicabit. Ad  
quam itaque orationem audiendam ut RECTOR Academæ  
Magnificus, Comitesque illustrissimi, una cum Proce-  
ribus Academæ venerandis & universo Nobilissimorum  
Civium nostrorum choro faciles se præbeant, & præsentia  
sua honorifica & svavissima actui huic Academico decus &  
ornamentum omne concilient, rogamus decenter &  
compellamus. Dab. Dom. Judica, A. C.

M D CC XXXII.



I, 107.

Yd  
4535

bergen, et Feibablogranenibus  
**AD MORIAM BEATI CHRISTIANI EIERI,**  
M. I. L. A. C. M D C C XXXII.  
CA ORATIONE  
IN  
OPHILOSOPHORUM  
ECOLENDAM  
INVITAT  
TIS PHILOSOPHICÆ  
D-DECANUS  
CHRISTIANUS LEHMANN,  
PUBL. ORDIN. ET MED.  
ACAD. DECEMVIR. COLL.  
COLLEG. ET ACAD. LEO-  
UT ET SOC. PRUSS.  
MEMBR.  
LIPSIAE,  
JOH. ANDREÆ ZSCHAU.

## Farbkarte #13

